

DOMUS.

PONS TIRONUM

QUEM FECERUNT

R. B. APPLETON

ET

W. H. S. JONES

*Trita manu puerili est ut, mea cura, senescas ;
si modo non frustra, non mihi tota peris.*

LONDINII

APUD AEDES G. BELL ET FILIORUM

CIDCCCXIII

PRAEFATIO

LIBELLUM habes, lector benevole, quo quasi ponte usi tirones a primo tirocinii anno in secundum transire possint. Primo enim anno solum simplices, quas vocant, sententiae tractari solent; secundo autem adfectanda sunt difficiliora. Multa singularum constructionum exempla in unoquoque capite ita congregata sunt ut discipuli ipsa similium sententiarum frequentia sensim difficultates superare possint. Latinam linguam ubique, nusquam invenies Anglicam.

Gratias debemus maximas amico nostro A. W. Spratt, Aulae S. Catharinae socio, et W. H. D. Rouse, viro doctissimo, gratissima nobis amicitia coniuncto, qui ambo, qua sunt benevolentia, multis modis nos adiuverunt. Si tamen menda te offendent, ita nobis ipsis culpam ascribe, ut veniam non omnino deneges.

*R. B. A.
W. H. S. J.*

EXPERGĪSCOR.

Animum attende ! Imperō tibi ut animum attendās.

ANTE lūcem servus quīdam nōmine Dāvus ad cellam, ubi dormiō, venit; forēs pulsat, ac mihi ut surgam imperat. Ego dormire volō; servō igitur ut abeat imperō. Servus abit, sed pater eum redire iubet. Redit igitur et clāmāns “Pater tuus,” inquit, “ut statim surgās tibi imperat.” Ē lectulō, in quō dormiēbam, sine morā surgō; sed vestēs, quibus mē amicire soleō, invenire nōn possum. Dāvō igitur ut novam tunicam quaerat imperō. Ille autem “Cūr,” inquit, “quod māter tibi imperat numquam facis? Cūr eī nōn pārēs? Nam semper tibi imperat ut tunicam apud lectulum tuum dēpōnās.” Ego tamen irātus eī ut taceat imperō. Tacet igitur et aliī imperat servō ut tunicam novam mihi det. Servus ille alteram tunicam adfert, et mihi “Dāvus,” inquit, “ut hanc tunicam tibi darem mihi imperāvit. Imperāvit quoque ut celeriter tē amicirēs.” Fēstīnō

igitur et servum alterum calceōs (quōs in pedibus gerere soleō) adferre iubeō. Calceōs ille adfert, quōs ego pedibus indūcō. Deinde redit Dāvus, et “Māter tua,” inquit, “ut statim ad sē veniās tibi imperat.” Ad mātrem igitur eō, quae tunicam et calceōs meōs cūriōsē īnspicit, et ut comās pectam mihi imperat. Dāvum igitur pectinem (quō comās pectimus) quaerere iubeō. Deinde māter mihi imperat ut collum iterum lavem, atque ut ad lūdum lītterārium (ubi nōs puerī lītterās discimus) proficīscar. Servum mēcum ire iubet. Hīc igitur servus, quī paedagōgus appellātur, mē ad lūdum comitātur. Loculōs meōs (quī librōs continent) ut portet imperō; at ille mihi imperat nē in viīs morer. Hōc modō ad lūdum venīmus, et paedagōgō ut domum redeat imperō.

Māter ad lūdum nōn it. Servōs ad sē venīre iubet. Omnibus nē tempus terant imperat; hunc ātrium purgāre, illum aquam ex impluviō (hōc est, ē stāgnō in mediō ātriō sitō in quod pluviae cadunt) adferre iubet. Dāvō tamen ut ad macellum (ubi multae sunt tabernae ex quibus variās rēs emimus) eat cibumque emat imperat. Dāvus igitur ad macellum abit et vēnditōrī ut būbulam domum nostram tempore mīttat imperat. Saepenumerō tamen vēnditor nōn tempore mīttit. Pater igitur irātus Dāvum ad sē venīre iubet et “Nōnne,” inquit,

“domina tibi imperāvit ut cibum emerēs?” Cū Dāvus “Imperāvit,” inquit, “ut ad macellum irem. Ad macellum īvī; laniō, ā quō carnem emere solēmus, ut būbulam mihi mōnstrāret imperāvī; nūllam praestō habēbat, sed aliū cuīdam ut bovem quaereret imperāvit; alius ille in agrōs abīvit, agricolaeque ut bovem trucidāret imperāvit. Agricola uxōrī imperāvit ut cultrum sibi daret; uxor vicinō, quī prope habitābat, cū mūtuum dederat cultrum, ut sibi redderet imperāvit. Is cultrum reddidit, et uxōrī imperāvit ut grātiās marītō ageret. Uxor marītō suō cultrum dedit, eīque ut bovem statim trucidāret imperāvit. Marītus eīus bovem trucidāvit, servisque ut ad macellum portārent imperāvit. Servī ad macellum bovem portāvērunt, laniōque ut pecūniam solveret imperāvērunt. Lanius eīs nē nimis poscerent imperāvit; ego quoque laniō nē nimis ā mē posceret imperāvī; būbulam ad nōs statim mittere iūssī. Lanius ad nōs būbulam mīsīt; ego coquō dedī, eīque ut statim coqueret imperāvī. Coquus mihi ut omnia tibi expōnerem imperāvit, ac būbulam coquere incēpit, quae nunc, ecce! parāta adest.” Pater servum būbulam adportantem vīdit, et Dāvō ut ad culinam rediret imperāvit.

Pater mihi nē nimis celeriter edam semper imperat. Ō mē miserum, ut multa sunt quibus semper debēmus abstinēre! Magister semper mihi imperat

nē in lūdō lūdā; paedagōgus nē in viīs morer imperat; māter mihi nē digitōs rōdam imperat, imperat quoque nē frāterculum laedam. Frāterculus mihi nē crepundiīs suīs (quibus ipse lūdere solet) lūdā imperat. Herī frāterculus crepundia in ōs inserentem vīdī, cui “Nōnne,” inquam, “māter tibi imperāvit nē crepundia in ōs insererēs?” ac crepundia ab eō āvellere cōnābar. Ille autem vāgīre incēpit; imperāvī eī nē infantem sē praestāret; vāgītum tamen māter audīvit, et mihi ut statim ad sē irem imperāvit. “Nōnne,” inquit, “tibi imperāvī nē frāterculum laederēs?” Cui ego “Nōnne frātrī,” inquam, “imperāvistī nē crepundia in ōs insereret? Ille tamen crepundia hōc modō in ōs inserēbat”—et digitōs in ōs inseruī. Sed—ō mē miserum!—digitōs māter vīdit et “Nōnne,” inquit, “nē digitōs mordērēs tibi imperāvī?” Deinde paedagōgum ad sē venire iubet, cui ut mē ad patrem dūcat imperat. Paedagōgus mē ad patrem dūcit. Ego ire nōlō; itaque moror, sed paedagōgus “Nōnne,” inquit, “saepenumērō nē morēris tibi imperāvī?” Pater mē reprehendit et “Nōnne,” inquit, “ut mātrī semper oboedīrēs tibi herī imperāvī?” Ego nihil respondeō, et pater mē ad cubiculum abire iubet.

POËTA.


Magister venit ut discipulōs doceat.

Discipulī ut recitent librōs aperiunt.

Posterō diē pater meus negōtia aliquot āctūrus in urbem est prōgrēssus. Dum ante tabernam quandam stat, subitō accurrit malus nescioquis poēta quī “Carmen,” inquit, “ut recitem, amīce, ad tē veniō.” Cui pater “Nōn vacō,” respondet, nē tālī pēste vexētur. Merīdiē in porticū Pompēiī ut sē recreāret cōnsēdit; cui sedentī Ligurīnus īdem accurrēns “Ō optime,” inquit, “iterum ad tē veniō ut carmina mea recitem.” Cui pater “Nōn vacō,” inquit, “nam ut dormīrem hūc ā multitudīne recēssi.” Ligurīnus discēssit, et pater iterum obdormīvit. Octāvā hōrā in thermās fūgit nē iterum poētae fieret obuius. Sed statim ad aurem sonat “Ō optime patrōne, venī tibi carmen aliquod recitātum.” Fugit pater ad piscīnam. Nōn tamen natāre licet, quia Ligurīnus exclāmāns “Nunc tandem,” inquit, “ut audiās carmina prope aquam stāns sum tibi recitātūrus.”

Posteā pater hōc dē Ligurīnō scripsit carmen :—

Et stantī legis et legis sedentī,
Currentī legis et legis morantī.
In thermās fugiō; sonās ad aurem.
Piscīnam peto: nōn licet natāre:



BALNEUM.

Ad cēnam properō ; tenēs euntem.

Ad cēnam veniō ; fugās sedentem.

Lassus dormio ; suscitās iacentem.

Quam pulchrum est carmen ! Ego quoque dum carmina audiō poēta fierī volō. Nōnnumquam versūs compōnere cōnor, sed malī, immō vērō pessimī, sunt versiculī. Aliquando versiculōs quōs scripsī lūdī magistrō mōnstrō, sed ille “Vīsne, Lūcī,” inquit, “poēta fierī?” Ego aīō, et ille semper mihi imperat ut Graecōs scriptōrēs identidem diēs noctēsque perlegam ut optima imiter exempla. Sed rēs est difficillima ; multō facilius mihi vidētur esse prō patriā pūgnāre. Herī dum domum redeō multōs vidī mīlitēs, et mīles fierī et ipse cōstituī. Quam pulchram speciem prae sē ferunt mīlitēs ! Ut dulce et decōrum est prō patriā pūgnāre ! Quam fortēs videntur esse mīlitēs ! Ut nihil honestius agere possumus quam prō patriā morī ! Nihil pulchrius esse potest quam mīlitis habitus. Ut hunc habitum videās spectā tabulam pīctam.

MILES.

Hīc est mīles ; gregārius est mīles quī ita appellātur quia quasi ūnus est ex grege mīlitum. Ut in pūgnā servētur fert scūtum, galeam, lōricam, brācās ; galeam quae caput ab ictibus dēfendat, lōricam quae pectus


prōtegat, brācās nē crūra volnerentur, scūtum ut ab omnī corpore ictūs arceat. Tenet quoque, ut vidēs, pīlum et gladium; pīlum habet ut in hostēs ēminus cōniciat, gladium ut comminus eōs feriat.

In Rōmānō exercitū alia quoque mīlitum sunt genera; equitēs, quī ex equō pūgnant, ut victōs hostēs persequantur, funditōrēs quī fundīs glandēs vel lapidēs in hostēs iaciant, sagittāriī quī sagittās arcubus emittant. Est etiam dux ut exercitūs quasi caput sit. Is ut omnia ōrdine agantur iūssa dat mīlitibus. Ante pūgnam solet omnibus imperāre ut summā virtūte, summō animō, summīs vīribus dēcertent.

CĒNA.

Licetne nōbīs cēnāre? Ōrāmus tē ut nōbīs cēnāre liceat.

Cottīdiē ferē domum apud nōs convīvae cēnātum veniunt. Convīvās pater ita dispōnit: ut in summō lectō accumbant rogat Semprōnium, avunculum meum, frātrēsque eius duōs, ut in mediō cōnsulem aliōsque duōs magistrātūs, ut in īmō, ubi ipse accumbit, duōs reliquōs. Tum servō cuiādam imperat ut gustum appōnat. Ōvīs plērumque aliīsque ēscīs, quō magis edere cupiant convīvae, initiō cēnae vescimur; deinde per cēnam rēctam prōcēdimus ūsque ad mēnsās secundās, frūgēs cūiusvīs




MĪLES.

- | | | | |
|-------------|-------------|---------------|-------------|
| I. Galea. | II. Lōrica. | III. Scūtum. | III. Pilum. |
| V. Gladius. | VI. Brācae. | VII. Caligae. | |

generis ut m̄ala, pira, ūvās,—unde fit pr̄verbium “Ab
 ōvō ūsque ad m̄alum.” Dum secundīs fruuntur
 mēnsīs quīdam ex convīvīs patrem ōrat ut mē vocet.
 “Cupiō enim,” inquit, “eum recitantem audīre.”
 Pater igitur servō imperat ut mē roget ut praestō
 sim. Servus igitur mē intrōdūxit; tum pater mē
 ōrāvit ut quam optimē carmen aliquod recitārem.
 Ego autem omnēs precātus sum ut attentō animō
 mē audīrent et hunc in modum incēpī:—

Ut nova rīdent
 nitōre pr̄ata daedalō,
 rīdet iuventūs
 ah! quam fugāx!
 Carpite (nam licet)
 pūra, sodālēs,
 gaudia quae dabit
 prīma iuventūs.

Dum salit aestū
 fervente sanguis artubus,
 rōburque nescit
 frangī malīs,
 carpite (nam licet)
 pūra, sodālēs,
 gaudia quae dabit
 prīma iuventūs.



CONVIVAE CĒNANT

Ēia! per aurās
 follis sonantēs ēvolet;
 nec lūsus ācris
 cesset pilae.

Carpite (nam licet)
 pūra, sodālēs,
 gaudia quae dabit
 prīma iuventūs.

Ōtia lūdōs
 labōre parta suādeant
 lūdīque Mūsīs
 dent vigōrem.

Carpite (nam licet)
 pūra, sodālēs,
 gaudia quae dabit
 prīma iuventūs.

Postquam carmen recitāvī pater servum semper rogat ut crūstula quaedam mihi adferat. Convīvae quoque nōnnūllīs praemiīs mē dōnant. Semprōnius librum pulcherrimum fābulās Aesōpī continentem mihi dedit. Hunc librum identidem legō, nam māximē mihi placet. Multae insunt tabulae pulcherrimē pīctae, quārum dē unā vōbīs nārrābō. Spectā tabulam.

CANIS.

Quāle est hōc animal? Dīc mihi quāle sit.

Vidēsne hunc canem quī carnem ōre tenet? Scīsne quālis sit carō? Bovis est carō, bŭbula nōmināta. Dīc mihi quid canis agat. Intellegisne cūr pontem trānseat? Ut ā laniō effugiat pontem trānsit; nam carnem, quam ōre portat, ā laniō quōdam abstulit. Rogāsne cūr fugiat? Nē ā laniō capiātur scīlicet fugit. Dum aufugit ad pontem pervēnit. Quō ferret pōns omnīnō nesciēbat, sed ut lanium vitāret trānsgridī incēpit. Dum trānsgriditur aliquid in aquā vīdit; quid esset nesciēbat, nūllus enim canis quid sit imāgō intellegere potest. Sed carō esse vidēbātur, et canis ille invenire cupiēbat utrum illa in aquā carō melior esset carne (quam in ōre habēbat) necne. Quid, igitur actūrus sit omnēs, ut putō, bene scītis. Ōs enim ut imāginem rapiat apertūrus est, nam, ut dīxī, quid imāgō esset nōn intellegēbat.

Ut mihi placet hūiusmodī legere librōs! Multō iūcundiōrēs sunt quam grammaticī istī quōs in lūdō recitāmus. Equidem vērō cūr necesse sit tālēs legere librōs nesciō. Sed quō sapientior fīam pater mihi imperat ut lūdum frequentem; lūdī magister omnibus ut librīs et stilō incumbāmus imperat nē



Inágo.

CANIS PONTEM TRÁNSIT.

semper rudēs incultīque sīmus. Sed cūr tantam necesse sit operam dare ut sapientēs fiāmus, nēmō mihi dīcere potest. Ōlim ipsum magistrum quam ob rem sapientēs nōn nātī essēmus rogāvī, sed ille nihil nisi mihi imperāvit nē stultum mē praestārem. Cūr hunc in modum respondisset tunc nescīvī; sed fortāsse et ipse nescit quam ob rem necesse sit studēre ut sapientēs fiāmus. Ego saltem quōmodo rēs sē habeant nesciō; hōc tamen sciō—māter mihi ut ad lūdum eam imperat; pater imperat ut mātīrī pāream; lūdī magister mē operam librīs dare iubet.

LŪDUS.

Ad lūdum currō quia timeō nē sērus veniam.

Multa posteā tibi dē lūdō nārrābō, nunc autem haec pauca. Lūdum frequentāre mihi molestum est; quam molestum sit nēmō nisi puer intellegere potest. Sed cum condiscipulīs lūdere satis grātum mihi est, atque ut amīcōs mihi conciliem necesse est ad lūdum ire. Quot in lūdō nostrō sint discipulī nōn nārrābō. Quis enim hōc scīre volt? Nōn quot, sed quālēs sint discipulī scīre vīs. Dē omnibus nunc nārrāre nōn possum, sed quantum licet nunc audī. Quīdam ex discipulīs, nōmine Gāius, ā condiscipulīs etiam Timidus est appellātus. Rogāsne

cūr ita sit appellātus? Precārisne mē ut tibi dīcam cūr illud sit nōmen? Paucīs expōnam verbīs: Gāius semper timet, metuit, verētur; semper trepidus est. Māne timet nē pluat, nē magister pūniat. Dum pilā lūdit timet nē ipse cadat, vel nē cadat pila. Ante cēnam timet nē parum sit cibī. Dēnique semper timet nē quid malī accidat. Herī timēbat nē pēnsūm recitāre nōn posset. A lūdō igitur omnīnō sē abstinuit; domum tamen nōn iit, timēbat enim nē māter sibi veniam nōn daret. Herī timēbat nē magister pūnīret; hodiē nē pūniat timet, crās timēbit nē pūniat. Intellegisne nunc tandem cūr Timidus sit appellātus?

Plērumque praelēctiōnēs in lūdō ōdī, sed interdum magister fābulās nōbīs nārrat. Hās vāldē amō. Vīsne scīre quālēs sint? Animum igitur attende ut intellegās, ac tibi ūnam ex eīs quās magister nōbīs recitāvit nārrābō.

FĀBULA DĒ ANŪ.

Magistrō docente oportet discipulōs tacēre.

“ Ōlim erat anus quaedam quae sex assēs invēnit. Itaque ad macellum ut porculum emeret profecta est. Porculō emptō domum redībat, sed ad portam vēnit per quam porculus ire nōluit. Itaque anus canem

ōrāvit ut porculum mordēret. Sed canis nōluit. Itaque cane recūsante ferulam ōrāvit ut canem percuteret. Sed ferula nōluit. Itaque ferulā recūsante ignem rogāvit ut ferulam ūreret. Sed ignis nōluit. Itaque ignī recūsante aquae imperāvit ut ignem exstingueret. Sed aqua nōluit. Itaque aquā recūsante taurum ōrāvit ut aquam biberet. Sed taurus nōluit. Itaque taurō recūsante lanium ōrāvit ut taurum interficeret. Sed lanius nōluit. Itaque laniō recūsante fūnem ōrāvit ut lanium suspenderet. Sed fūnis nōluit. Itaque fūne recūsante mūrem ōrāvit ut fūnem rōderet. Sed mūs nōluit. Itaque mūre recūsante fēlem ōrāvit ut mūrem ederet. Fēlēs autem ‘Sī lac,’ inquit, ‘mihi dederis, ego mūrem edam.’ Anus igitur ad vaccam prōgrēssa ōrāvit ut lac sibi daret. Vacca tamen ‘Sī aliquantulum faenī,’ inquit, ‘mihi dederis, ego lac tibi dabō.’ Itaque anus hominem quī agrōs colēbat ut faenum sibi daret ōrāvit. Sed homō ‘Sī,’ inquit, ‘aquam in crībrō mihi adportāveris, faenum tibi dabō.’ Anus igitur lapidēs et argillam crībrō imposuit et aquam adportāvit. Itaque aquā acceptā homō faenum dedit; faenō comēsō vacca lac dedit; lacte exhaustō fēlēs mūrem edere incēpit; caudā morsā mūs incēpit fūnem rōdere; quō factō fūnis, lanium angere incēpit; iugulō compressō lanius incēpit taurum interficere; capite percussō taurus incēpit aquam

bibere. Quibus factis aqua ignem extinguere incēpit; aquā sparsā ignis ferulam ūrere incēpit et ferula incēpit canem percutere. Itaque canis ferulā verberātus porculum mordēre incēpit et porculus per portam saltāns ēvāsit. Quibus factis anus domum rediit.”

Nūdius tertius hanc fābulam magister nōbīs nārrāvit, sed fābulās cottīdiē nōn nārrat. “Sī pēnsa,” inquit, “bene fēceritis fābulam vōbīs nārrābō,” sed ūnus et alter male faciunt. Nūllam igitur audīmus fābulam, sed magister artem grammaticam nōs docet.

Herī conclāve intrāvit. Cum intrāvisset discipulōs spectāvit. Cum discipulōs spectāvisset (vel, ubi discipulōs spectāvit; vel, postquam discipulōs spectāvit; vel, discipulīs spectātīs; vel, cum discipulī spectātī essent) crētā sustulit. Crētā sublātā (vel, cum sublāta esset crēta; vel, cum crētā sustulisset; vel, ubi crētā sustulit; vel, postquam crētā sustulit) in tabulā scrīpsit carmen. Carmine scrīptō (vel, ubi scrīptum est carmen; vel, postquam scrīpsit carmen; vel, cum scrīpsisset carmen; vel, cum scrīptum esset carmen) discipulōs recitāre iūssit. Discipulī iūssī carmen recitāvērunt. Carmine recitātō (vel, ubi recitāvērunt; vel, postquam recitāvērunt; vel, cum recitāvissent carmen) magister duās nārrāvit fābulās. Quibus fābulīs nārrātīs (vel,

quās cum nārrāvisset fābulās ; vel, quae cum nārrātae essent fābulae ; vel, quās ubi nārrāvit fābulās) dīmīsit discipulōs. Discipulīs dīmīssīs ipse prandium ēdit ; discipulī dīmīssī lūsum ēgrēssī sunt.

Ō mē miserrimum, stultissimum ! Nōn possum haec omnia comprehendere. Mēns mihi pertūrbātur, cōlfunditur, mīscētur. Quam multa idem sīgnificant !


Sed fēriae adsunt et lūdum multōs diēs omīttam.

LECTICARIUS.

Fēriae adsunt, sed nisi fēriae advēnissent ego mortuus essem.

Sī magister nōs ad lūdum per fēriās ire vellet ego nōn irem.

Dum hae fēriae aguntur Viā Sacrā forte ībam, cum subitō lectīcārius quīdam, quī aliquem lectīcā gestābat, ā tergō appropinquāns caput meum assere percussit. Petasum, ut accidit, gerēbam quī aliquid dē vī ictūs remīsit. Sed nisi petasum habuissem scelerātus ille omnīnō mē interfēcisset. Sī modo eum appropinquantem vīdissem dē viā eī dēcēssissem, sed nōn vīdī. Sī modo “ Cavē ” clāmāvisset, idem fēcissem, sed nihil clāmāvit. Itaque mē offendit. Sī mē multō vehementius percussisset fortāsse mē interfēcisset, et sī mē interfēcisset com-



X Asser.

LECTICA.

prehēsus esset ut sicārius. Sī comprehēsus esset in vincula esset iactus. Sī in vincula iactus esset inter sicāriōs accūsātus esset. Sī accūsātus esset capitis esset damnātus. Sed, ut iam dixī, nihil accidit nisi quod caput meum tumōre māgnō fiēbat tumidum. Sī pater adfuisset valdē, putō, irātus esset et hominem pulsāvisset. Tū quoque sī capitis tumōrem vīdissēs hominem reprehēdissēs. Equidem vērō hunc in modum hominem allocūtus sum. “Quid, malum, fēcistī? Cūr tam celeriter curris? Nisi celeriter fēstīnāvissēs mē nōn percussissēs. Cavē nē poenās postea dēs. Nam sī adultus essem tē iam caederem, quod nunc facerem, sī modo baculum habērem. Utinā³ habērem, vel pater vel paedagōgus adesset, āctum esset dē pelle tuā, fūrcifer!” Ille autem “Tacē,” inquit, “nam quod mihi ita maledixistī iterum tē percuterem nisi puerulus modo essēs.” Quibus dictīs ego hominem quī in lectīcā vehēbātur āgnōvī. Ō mē miserum! lūdī magister erat! Quō cōgnitō quam celerrimē mē recēpī; timēbam enim nē ille quoque mē āgnōsceret. Domum reversus magistrum cum patre loquentem invēnī. Statim valdē timēbam nē rē vērā mē āgnōvissēt nēve quod lectīcāriō dixeram audīvissēt. Diū quam ob rem apud nōs adesset frūstrā mīrābar, sed tandem Dāvus ad mē vēnit et “Pater,” inquit, “ut statim ad sē in tablīnum eās tibi imperat.”

Iterum nē poenās darem timuī, sed ut quam ob rem adesset magister invenīrem ad tablīnum sine morā mē contulī. Valvīs apertīs magistrum—mīrābile dictū!—rīdentem vīdī et, omnī timōre iam dēpositō, sēcūrus intrāvī. Pater, cum mē adstantem percēpisset, “Cornēlius,” inquit,—ita enim nōminātus est lūdī magister—“ut negōtia quaedam sēcum agam mē in rūs vocāvit; itaque eum precātus sum ut tibi nōbīscum ire liceat.” Quibus audītis vix auribus meis crēdere potuī et magistrum rogāvī num vēra nārrāret pater. Ille ait, et pater mihi imperāvit ut statim mē parārem.

Tam benignus est magister ut mē sēcum rūs ire sinat.

Dum ego mē ad profectiōnem parō haec quoque pater mihi expōnit: “Adsunt Kalendae Sextilēs. Itaque Cornēlius lūdum in Octōbrēs Īdūs dīmīsit.” Quibus audītis quam māximē gaudeō, nam tantā vī sōl aestāte ārdet ut nihil discere possim. Etiam sī lūdum aestāte frequentārem nihil discere possem. Quid enim? Nōnne Mārtilis hunc in modum loquitur:—

Lūdī magister, parce simplicī turbae!

Sic tē frequentēs audiant capillātī.

Ferulaeque trīstēs, scēptra paedagōgōrum

Cessent, et Īdūs dormiant in Octōbrēs.

Aestāte puerī sī valent satis discunt.

Nam sī qua alia urbs, est īnsalūbris Rōma ; tantus est ārdor sōlis ut nēmō quicquam possit discere; īmmō vērō adeō est īnsalūbris urbs ut lūdī magistrī suōs quisque discipulōs in Īdūs Octōbrēs dīmīttant. Ita grassantur febrēs ut dītissimus quisque aestāte in villās migret, īmmō vērō nēmō Rōmae maneat nisi urbāna cōgunt officia. Omnēs, ut putō, sī modo officia sinerent ad villās sē reciperent. Ultimō annō tempestās ita erat rabida ut omnēs tōtūm diem in lectulīs ōtiōsī requiēscerent. Ita furēbat aestus ut neque lītterās discere, neque ambulāre, neque edere, nihil nisi bibere possent. Ut Mārtiālis dīxit, tantum vītae eius dētrāxit urbis pēstilentia, ut, sī eōs modo computāret annōs per quōs valēbat, rē vērā infāns etiam nunc esset. Pater igitur ita veritus est nē in morbum inciderem, ut mē rūs sēcum addūcere cōstituerit.

ITER.

Sed ut nārrātiōnem meam bene intellegās, oportet mē aliquid grammaticē expōnere. Nōlī timēre nē tē taedeat. Nōn sum magister lūdī neque illī adsunt diēs per quōs lūdum frequentāmus. Fēriae adsunt, et iter nostrum sum tibi nārrātūrus. Primum tamen hōc grammaticē: sententiam *Magister venit ut doceat* nōs Rōmānī hunc quoque in modum

vertimus **Magister docendī causā venit.** Similiter dīcimus aut

Puerī ut discant lūdum frequentant.

aut


Puerī discendī causā lūdum frequentant.

Sed vereor ut intellegās. Oportet mē melius expōnere; melius mihi expōnendum est. *Docendī causā* idem sīgnificat quod *ut doceat* primā in sententiā, et *discendī causā* idem quod *ut discant* secundā in sententiā. Intellegisne nunc? Oportet tē intellegere; intellegendum est tibi. Hōc quoque mihi dīcendum est:—Eandem sententiam *Magister docendī causā venit* hunc quoque in modum vertere possumus:—

Magister ad discipulōs docendōs venit.

Sed vereor nē artis grammaticae iam tē taedeat. Reliquā igitur parte omīssā, ad iter nostrum pergam.

Māne experrēctus cum patre ad forum īvī raedae condūcendae causā. Primā hōrā magistrō comitante profectī sumus ut iter tempore perficerēmus. Dum Viā Appiā vehimur, multa mihi posteā nārranda vīdimus. Quārtā circiter hōrā ad dēversōrium pervēnimus, ubi omnibus ex raedā dēscendendum erat edendī bibendique causā. Quam iēiūnus eram!



Rota.


RAEDA.

Tam avidē edēbam, ut pater hīs verbīs mē reprehendere incēperit. “Nōlī cibum tam avidē dēvorāre; nōnne saepenumērō tibi imperāvī nē avidum in edendō tē praestēs; prōverbium meum nōn ignōrās—*ut vivāmus edendum est, nōn vivendum est ut edāmus*—prūdentissimus quisque vivendī causā edit; stultissimus quisque edendī causā vivit. Fēstīnā tamen, namque iterum in raedam nōbīs est ascendendum.” Quibus auditīs ego fēstīnō; aliquantulum cibī in sinū pōnō, et omnēs iterum raedam ascendimus.

In itinere faciendō ut sunt multa cūranda! Nē nimis impedīmentōrum raedae imponāmus prōvidendum est; unguae equī identidem sunt spectandae, nē lapidēs inhaeserint, nec nōn rotae sunt inspiciendae, nē quid damni accēperint. Quae omnia in hōc itinere faciendō nōbīs accidērunt. Nam simul atque iterum sumus profectī, pater ad raedārium versus “Timeō,” inquit, “nē sērō adveniāmus. Cūr nōn cursum accelerās?” Cui raedārius “Celerius,” inquit, “īre nōn possum; cūr tot impedīmenta tēcum adportās? Sī minus impedīmentōrum adportārēs, celerius īre possēmus. Num colōniae dēdūcendae causā iter facis?” Quibus auditīs Cornēlius quidem rīsit et facētiās hominis laudāvit, sed pater et raedārius paulisper inter sē collocūtī, ad dēversōrium redīre cōstituērunt, onera levandī causā. Itaque

Cornēliō comitante hī duo reversī sunt. Ego tamen lūdendī causā ē raedā dēscendī. Calculīs, quippe quī tālōs nōn habērem, hunc in modum lūdēbam. Septem vel octō calculōs in manum collēctōs in āera iaciēbam et dum calculī cadunt quam plūrimōs manū reversā excipere cōnābar. Diū hunc lūdum, dum patrem exspectō, lūsī. Tandem autem pater rediit et mihi ut in raedam iterum ascenderem imperāvit. Cui ego “Cūr, pater,” inquam, “tam diū āfuistī?” “Tam celeriter,” respondit ille, “ad dēversōrium contendēbāmus, ut rota dextra celerrimō cursū agitāta ab āxe omnīnō sē liberāverit raedaque prōna nōs omnēs ad terram praecipitāverit.” Cui ego exclāmāns “Ō pater,” inquam, “num laesus es?” “Mīrābile dictū,” respondit ille, “nihil damnī accēpimus nisi quod rota refīxa iterum nōbīs erat affīgenda; cūius rotae affīgendae causā diū sumus morātī. Sed nisi Iūppiter nōs servāvisset, omnīnō essēmus interfectī. Nunc autem prōcēdāmus.” Quibus dictīs vix iterum profectī sumus, cum equus subitō claudicāre incēpit, et pater raedārium rogāvit quae causa esset. “Vereor,” respondit raedārius, “nē calculus unguļae inhaereat,” et rursus nōbīs erat dēscendendum calculī ex unguļā extrahendī causā. Quō extractō raedārius “Hunc,” inquit, “nisi extrāxissem equus omnīnō claudus esset factus.”

Tandem autem ad vīllam ad quam contendēbāmus



ARĀTOR AGRUM ARAT.

tūtī pervēnimus. Equidem vērō adeō fatigātus eram, ut statim cubitum īrem. Proximō diē māne in agrōs vagātus, multa inūsītāta neque antea ā mē vīsa invēnī. Vīlicum mīrum quoddam instrūmentum fingentem vīdī, cui ego “Quid, sōdēs,” inquam, “ibi facis?” “Arātrum,” respondit, “fingō, namque ut pānis suppetat nōbīs segetēs sunt. serendae; ut segetēs crēscant agrī arandī sunt, āc mihi ad agrōs arandōs hōc instrūmentum faciendum est.” Multa quoque alia vīlicus mihi expōnere incēpit, sed mox mihi abeundum erat ad prandium eden- dum. Ut in prandiō edendō gaudēbam! Coquus enim multa āc varia legūmina nōs dēlectandī causā apposuit. Ego timēbam nē pater mē iterum reprehenderet quod mē tam avidum in edendō praestārem.

Posterō diē pater, rēbus perfectīs ad quās per- ficiendās profectus est, Rōmam rediit. Mē tamen rūrī reliquit, nē sī ad urbem īnsalūbrem reversus essem in morbum inciderem. Mēnse tamen Octōbrī appropinquante mē quoque ad urbem revocāvit, ut ad lūdum redīrem. Dē lūdō pauca tibi iam nārrāvī, sed, ut antea dīxī, multa alia mihi sunt nārranda.

ITERUM DE LUDO NARRO.

Heri in ludo discipulus quidam, Decimus nomine, risit. Magister "Decime," inquit, "puto te risisse." Deinde perrexit hunc in modum nos docere. "Si ante huiusmodi sententias 'Decimus ridet,' 'Omnes riserunt,' 'Ridebo,' verbum pono dicendi vel sentiendi (ut 'dicere,' 'respondere,' 'arbitrari,' 'putare,' 'pro certo habere') subiectum ('Decimus,' 'omnes,' 'ego') in casum vertitur accusativum ('Decimum,' 'omnes,' 'me'), verbum in infinitivum vertitur, ita tamen ut et tempus idem sit, et vox quoque sit eadem."

Decimus ridet.

omnes riserunt.

ridebo.

miles interficitur.

miles interfectus est.

miles interficietur.

puto Decimum rideere.

puto omnes risisse.


puto me risurum esse.

putant militem interfici.

putabant militem interfectum esse.

putavit militem interfectum iri.

Ut hunc dicendi modum bene intellegamus, magister nonnumquam puero cuidam imperat ut sententias quasdam dicat, alterique imperat puero ut omnia ceteris discipulis narret. Statim hunc in modum pergimus:—



IŪDUS LĪTTERĀRIUS.

Discipulus.

Magister est iracundus.

Magister discipulōs male
docuit.

Magister mihi praemium
dabit.

Bonus sum discipulus.

Pessimī sunt aliī discipulī.

Māter mea mihi crūstula
dabit.

Hanc cōstructionem omnēs
iam intellēxērunt.

*Discipulus alter ceteris
narrans.*

Sextus magistrum iracundum
esse dicit.

Sextus magistrum discipulōs
male docuisse dicit.

Sextus magistrum sibi prae-
mium datūrum esse dicit.

Sextus se bonum esse disci-
pulum putat.

Sextus aliōs discipulōs pessi-
mōs esse putat.

Sextus mātrem suam sibi
crūstula datūram esse
putat.

Sextus omnēs hanc cōstruc-
tionem iam intellēxisse
putat.

Et vōs omnia iam intellegere prō certō habeō. Nōn enim putō vōs stultōs esse discipulōs: vōs stultōs esse negō. Magister nōnnumquam mē stultum esse dicit, sed putō eum errāre. Mox mē sapientem esse inveniet, nam pater et māter prō certō habent mē sapientem fore; negant enim magis-
trum omnia posse praedicere. Cēterum magister omnēs parentēs stultōs esse putat, et saepenumērō in lūdō “Omnēs,” inquit, “parentēs suōs liberōs optimōs esse arbitrantur.”

ROGĀTOR.

Num ex memoriā tuā cecidit ille discipulus cui āgnōmen erat Timidus? Est enim alius condiscipulus dē quō velim tibi nōnnūlla nārrāre. Nōmen eī est Mārcō. Cum tamen numquam loquātur nisi interrogandō, āgnōmen eī quoque indidimus. Appellāmus enim Rogātōrem. Herī patrem rogāvit quid ageret, quid prīdiē ēgisset, quid posterō diē esset āctūrus. Deinde rogāvit quot militēs stīpendia merērent, quōrum quot essent gregārii, quot centuriōnēs, quot tribūnī, quot prīmipilārēs. Mox dum ad lūdum pergīt obuius fit condiscipulō cuiādam quem statim rogāvit num pēnsū perfēcisset, quot hōrās in perficiendō cōsūmpsisset, utrum difficile fuisset necne; utrum postea lūsūrus esset necne, multa alia quōrum oblītus sum. Lūdum ingrēssus magistrum quoque rogandō excruciat. Rogat num pulchrē pēnsū scripserit; quandō fēriās rūsus sīmus āctūrī, quandō incipiant spectācula, multās aliās nūgās quās taedet mē nārrandī. Et vereor nē tē quoque taedeat; reliquās igitur interrogātiōnēs eius omīttam, nam putō mē iam satis dē lūdō et condiscipulīs meis nārrāvisse. Ad alia pergendum est.

PATRIS ŌRĀTIŌ APUD TRIBŪNAL
PRAETŌRIS HABITA.

Ōlīm pater, quī causidicus praeclārus est, ut ōrātiōnēs audīrem ad tribūnal praetōris sēcum mē addūxit. Quam multī hominēs aderant—reus ipse, quī fūrtī erat accūsātus, patrōnus eius, quī eum dēfenderet, pater meus ōrātiōnem contrā accūsātum habitūrus, nec nōn praetor togā praetextā amictus quī in sellā curūlī sedēbat, iūdicēs quī in subselliīs ad praetōris pedēs sedēbant! Mox praetor ad patrem meum versus ut ōrātiōnem habēret eī imperāvit, quī hunc in modum statim incēpit:—

“Nēmō dubitāre potest, iūdicēs, quīn hīc improbissimus, scelerātissimus, nēquissimus, quem ante oculōs sūdantem, pallentem, rubentem, sceleris sibi cōnscium vidētis, sī quis alius nocēns sit. Nōn dubium est quīn valdē pertūrbētur. Spectāte, iūdicēs! Vidētisne labra quō modō eī tremant? et genās ut exsanguēs fiant? Quis dubitāre potest quīn hīc sceleris sibi cōnscius sit? Mihi quidem nōn dubium est quīn iam ante oculōs carcerem, vincula, carnificem ipsum cernere videātur. Namque omnia ē tēstibus dīligenter quaesīvī, quae singula vōbīs expōnam. Hīc enim, quī nunc nē capitis damnētur vehementer timet, antea nihil timēbat. Quid enim? Timēbatue

nē comprehenderētur? Minimē vērō. Nōn dubitāvit quīn facile effugere posset. Intempestā nocte domuī petītōris appropinquāvit. Fenestram apertam vīdit; nōn dubium erat quīn omnēs iam dormīrent. Nūllum sonum audīvit. Nihil eī obstitit quīn per fenestram ingrēssus argentum caelātum auferret. Per fenestram igitur tacitus, nē quem ē somnō excitāret, intrāvit. Omnia prōsperē ēvērunt; argentum caelātum facile invēnit; in saccum, quem sēcum adportāverat, immīsit. Nihil eum impediēbat quīn tūtus ēvāderet, cum subitō ab hōc, quī ut omnia mihi tēstificētur adest, oppressus ad terram dēicitur. Tēstem, iūdicēs, audīte.”

Tēstis. “ Ex animī meī sententiā iūrābō vērūmque dīcam. Nūdius quīntus, quippe quī ex ventre labōrārem, noctū dormīre nōn poteram. Nōn dubitāvī quīn gravī morbō affectus moritūrus essem. Mūcium igitur quī tēstāmentum mihi cōnsignāret quaerere cōstituī. Domum apud eum statim ivī, et—mīrābile dictū—aliquem per fenestram intrantem vīdī. Nōn dubitāre poteram quīn scelus quoddam conciperet, et eī obstāre cōstituī quōminus effugeret. Itaque per fenestram et ipse ingrēssus quid esset āctūrus expectāvī, nam nūllum mihi dubium erat quīn esset fūr. Et rēctē suspicātus sum. Multa enim pōcula argentea et aliud argentum, et pūrum et caelātum, in saccum immīsit, et iam ad fenestram,

quā intrāverat, regrediēbātur, cum subitō ego ā tergō appropinquāvī et eum comprehendī.”

Quō tēstimōniō datō pater meus assurrēxit et “Nēmō,” inquit, “iūdicēs, dubitāre potest quīn hīc vēra nārret. Quid igitur vōbīs obstat quōminus hominem tam scelestum, tam nefārium, statim damnētis? Dīxī.”

Patrōnus fūris deinde ōrātiōnem habuit, sed ego quī nēminem nisi patrem audire voluissem domum abīvī. Sed patrem postea rogāvī utrum iūdicēs fūrem damnāvissent necne, et ille arrīdēns eum omnium cōsēnsū esse damnātum dīxit.

FĀBULAE.

Nōn ita multō post, convīvae quīdam ut diem mihi nātālem celebrārent apud nōs vērunt. Itaque mātrī persuādere cōnābar, ut paulō diūtius quam solitum mihi liceret vigilāre. Facile eī persuāsum est. Itaque ōmnēs circā focum cōsēdimus ut ōtiō fābulās nārrandō fruerēmur. Cum omnēs cōsēdissent avunculus meus hunc in modum prīmus incēpit:—

Scīrōn.

“Scīrōn latrō infāmis erat, quī regiōnem inter Megaram et Atticam infēstam reddēbat. Ad mare

locō quōdam praeruptō solēbat sedēre; deinde sī quis appropinquāverat viātor, eum cōgēbat sibi pedēs lavāre atque in mare praecipitābat. Hunc Thēseus, dum iter facit, saxō residentem cōspexit. Quō vīsō statim quae audierat in memoriam revocāvit. Itaque ā tergō appropinquāns Scīrōnem ex imprōvīsō aggrēssus parī lētō in mare dēiēcit; cūius ossa flūctibus agitāta scopulīs inhaesērunt. Unde Scīrōnia saxa ab eius nōmine sunt appellāta.”

Quā nārrātā fābulā, māter cum patrem nōn adesse animadvertisset, versa ad mē “Abī, Lūcī,” inquit, “ad patrem, quī epistulās in tablīnō scrībit, et cōnāre eī persuādēre ut ad nōs veniat.” Ego igitur abitūrus “Nōlīte,” inquam, “aliās nārrāre fābulās priusquam ego redeam.” Patrem in tablīnō invēnī, cui diū persuādēre cōnābar ut negōtia sua paulisper omītteret. “Statim,” inquam, “venī, pater, priusquam aliam nārrent fābulam.” Quō dictō, eī persuāsum est ut ad nōs venīret. Quae iam nārrāta essent māter eī breviter exposuit. Avunculum fābulam hūiusmodī nārrāvisse dīxit. Scīrōnem latrōnem infāmē esse quī regiōnem inter Megaram et Atticam infēstam redderet. Solēre hunc ad mare locō praeruptō sedēre; deinde sī quis appropinquāvisset viātor cōgere eum sibi pedēs lavāre atque in mare praecipitāre. Quem Thēseum, dum iter facit, saxō residentem vīdisse. Quō vīsō statim quae

audīvisset in memoriam revocāvisse. Itaque Thēseum ā tergō appropinquantem Scīrōnem ex imprōvisō aggrēssum parī lētō in mare dēiēcisse.

Quibus expositīs et patrī persuāsīmus ut aliquid nārrāret. Nec mora erat, sed ille statim “Nesciō,” inquit, “an possim; audīte tamen et quantum possum faciam.” Cui māter, “Fēstīnā modo,” inquit, “nam Lūcius nōn prius volt cubitum abire quam aliam audiat fābulam, et secunda iam adest vigilia.” Pater igitur hunc in modum perrēxit.

Nīsus.

“Līber, cum in Indiam exercitum ductūrus esset, Nīsō nūtrīciō suō, dum ipse rediret, rēgnī Thēbānī potestātem trādīdit. Sed postquam inde reversus est, Nīsus rēgnō cēdere nōluit. Itaque Līber, quippe quī cum nūtrīciō contendere nōllet, passus est eum rēgnum obtinēre dum occasiō sibi rēgnī occupandī darētur. In grātiam igitur cum eō rediit, et post tertium annum ut rēgnō eum prīvāret hōc iniit cōnsilium. Cum sacra quaedam sē factūrum esse simulāvisset, mīlitēs muliebrī ōrnātū tamquam Bacchās intrōdūxit, quī Nīsum sē rēgnō abdicāre coēgērunt.”

Quibus nārrātīs māter statim mihi ut cubitum abirem persuādere est cōnāta, cui ego “Sine mē,”

inquam, “māter, dōnec aliam audiam fābulam manēre.” Sed nūllō modō eī persuāsum est ut veniam mihi daret. Dum autem cōnor, ūnus ex convīvīs rogāvit cūr in lectīs adhibērentur asellōrum capita, quī negantibus sē scīre haec exposuit:—

Cūr in lectīs sunt asellōrum capita.

“Ōlim asellus quīdam erat quī vītem in prātō inventam gustābat. Suāvitāte dēlectātus hanc edēbat; ac vītis palmite abrōsō in māius crēscēbat et multō ferācior reddita est. Ūvas dēnique prōcreāvit quās pāstōrēs invēnērunt, vīnumque fēcērunt. Quāpropter Rōmānī, quod asellus eōs vītēs amputāre docuit, in tricliniōrum fulcrīs capita asellōrum vīte alligāta habent.”

Quibus audītīs ego cubitum abīvī. Ut placet mihi tālēs audīre fābulās! Numquam iterum, ut putō, aliās tam ēgregiās sum audītūrus dōnec proximus mihi aderit diēs nātālis. Sed cum proximus aderit annus nōn iam fortāsse Romae erimus.

EXERCITATIONĒS—I

(Adde partēs vocābulōrum omīssās.)

EXPERGĪSCOR.

- i. Servus mihi imperat ut surg—.
- ii. Servus mihi imperat ut tunicam quaer—.
- iii. Pater filiō imperat ut tac—.
- iiii. Pater filiō imperāv— ut tac—.
- v. Imperābō servō ut ven—.
- vi. Imperābās serv— ut venīrent.
- vii. Imperāv— pater frātrī me— ut ad lūd— proficisc—.
- viii. Ille mihi imperat nē in vi— mor—.
- viiii. Pater irāt— Dāv— ad sē ven— iub—.
- x. Agricola uxōr— imperāv— ut cultrum sibi dar—.
- xi. Servīs imperat ut bovem ad macell— port—.
- xii. Dāvō imperāvit ut ad culīn— red—.
- xiii. Māt— mihi nē digitōs rōd— imperat.

- xiiii. Frātr— imperāvit māter nē crepundia in ōs
inser—.
- xv. Imperāvī tibi nē digitōs mord—
- xvi. Ego ut mātr— oboed— tibi herī imperāv—.
- xvii. Pater mē ad cubiculum abī— iubet.

POËTA.

- i. Ut recit— carmen ad tē veniō.
- ii. Ut recit— carmina ad tē vēnī.
- iii. Ut mē recre— cōnsidō.
- iiii. In thermās fugit nē poëtae obvius fī—.
- v. In thermās fūgit nē poëtae obvius fi—.
- vi. Magister puerō imperāb— ut Graecōs scriptōrēs
perlegat.
- vii. Tabul— pīctam spectābāmus ut habitum milit—
vid—.

MĪLES.

- i. Gregār— mīles ita appellāt— quia ūn— est ex
grege milit—.
- ii. Ut in pūgnā serv— ferēbat scūtum.
- iii. Brācās habēbat nē crūr— volner—.
- iiii. Pīlum habēbat ut in hostēs cōnic—.
- v. Nōnnūllī sagittās habēbant ut ēmitt—.
- vi. Iūssa d— militibus dat ut omnia ōrdin— ag—.

CĒNA.

- i. Cottīdiē ferē dom— apud nōs convīvae ven—.
- ii. Convīv— pater ita dispōn—.
- iii. Ut in summ— lectō accumb— rogat Semprōni—
frātrēsque eius.
- iiii. Tum serv— cuīdam imperat ut gust— appōn—.
- v. Ōvīs ali—que ēsc— initi— cēnae vescimur.
- vi. Deinde per rēct— cēn— ūsque ad mēns—
secund— prōcēdimus.
- vii. Ab ōv— ūsque ad māl—.
- viii. Quīdam ex convīv— patr— rogat ut mē voc—.
- viiii. Pater mē ōrāv— ut carm— recitār—.
- x. Ego omnēs precātus— ut mē attent— anim—
audīr—.

CANIS.

(i)

- i. Quō in libr— erat canis pīctūra ?
 accūsō, -āre ; apud iūdicēs aliquem scelus admisisse affirmō. Sī quis "Hominem," inquit, "interfēcistī," mē ut sicārium accūsāt.
 addūcō, -ere, -dūxī, -ductum ; dūcō ad.
 adeō ; ita.
 adeō, -īre, -īvī, -itum ; eō ad.
 adferō, -ferre, attulī, allātum ; ad aliquem ferō vel portō.
 adhibeō, -ēre ; habeō, mōnstrō, praestō.
 admīror, -ārī ; id quod mirābile est admīror.

adportō, -āre; portō ad.
 adstō, -stāre, -stitī; prope
 aliquem stō.
 adultus est is quī iam nōn
 crēscit; homō.
 āēr, āēris (*m.*); āēra spirāmus et
 respirāmus; sine āēre vivere
 nōn possumus.
 Aesōpus, -ī (*m.*); fābulārum
 scriptor.
 aestus, -ūs (*m.*); ārdor; mōtus
 aquae, sanguinis, maris,
 cēterōrum.
 affigō, -ere, -fixī, -fixum; iungō.
 affirmō, -āre; dicō.
 aggredior, -ī, -grēssus sum;
 impetum faciō in, contrā
 aliquem currō.
 agitō, -āre; quatiō.
 āgnōmen, -inis (*n.*); nōmen
 quod aliī nōminī additum
 est.
 āgnōscō, -ere, -nōvī, -nitum;
 quis vel quālis sit intellegō.
 agricola, -ae (*m.*); quī agrōs
 colit.
 āiō; dicō *ita*, nōn negō.
 aliquantulum; nōn multum.
 aliter; aliō modō.
 alligō, -āre; vinciō.
 alloquor, -ī, allocūtus sum;
 loquor cum aliquō.
 amiciō, -īre, -icui vel -ixī,
 -ictum; vestēs induō.
 amputō, -āre; partem abscidō.
 angō, -ere, ānxi, ānctum vel
 ānxum; iugulum comprimō.
 animadvertō, -ere, -vertī,
 -versum; animum ad aliquid
 vertō; percipiō; videō.
 anus, -ūs (*f.*); fēmina multōs
 annōs nāta; fēmina prōvectae
 aetātis.
 appellor, -ārī; nōmen est
 mihi.
 appōnō, -ere, -posuī, -positum;

ad aliquem pōnō; praecipuē,
 in mēnsā pōnō.
 appropinquō, -āre; eō ad.
 arātrum, -ī (*n.*); instrūmentum
 quō agrōs arāmus. Vidē
 pāginam tricēsimum sextam.
 arbitror, -ārī; putō.
 arceō, -ēre, arcuī;
 dēfendō; in con-
 trāriam partem
 vertō.
 arcus, -ūs (*m.*).
 ardeō, -ēre, ārsī, ār-
 sum; calidus sum.
 ārdor, -ōris (*m.*); vīs
 sōlis, ignis, cēte-
 rarumque rerum calidarum.
 argenteus, -a, -um; id est
 argenteum quod ex argentō
 factum est.
 argentum, -ī (*n.*); metallum
 albī colōris ex quō nummōs
 facimus.
 argilla, -ae (*f.*); terra mollis
 ex quā vāsa facimus.
 arō, -āre; arātor arat agrum
 arātrō. Vidē pāginam tricēsi-
 mam sextam.
 arrideō, -ēre, -rīsī, -rīsum;
 paene idem quod *videō*.
 ars, -tis (*f.*); *ars grammatica*
 grammaticis libris continetur;
 ars poētae est carmina com-
 pōnere, pīctōris pīctūrās
 pingere.
 artus, -ūs (*m.*); pars vel mem-
 brum corporis.
 as, assis (*m.*); nummus.
 asellus, -ī (*m.*); asinus; animal
 omnium stultissimum quod
 longās habet aurēs.
 asser, -eris (*m.*); vidē lectīcam
 apud pāginam vicēsimum
 octāvam.
 assurgō, -ere, -surrēxi, -sur-
 rēctum; surgō.



ātrium, -iī (*n.*); māgna cella
 in mediā parte domūs. Vidē
 pāginam quārtam.
 attendō, -ere, -tendī, -tentum;
 valdē tendo, vertō ad; *anī-*
mmum attendere est animum
 ad aliquid advertere. Ad-
 vertō = vertō ad. Attentō
 animō = summā cūrā.
 auferō, -ferre, abstulī, ablātum;
 ab aliquō rapiō.
 aufugiō, -ere, -fūgī; ab aliquō
 fugiō.
 aura, -ae (*f.*); ventus lēnis
 vel mollis; āēr.
 auris, -is (*f.*); id quō audimus.
 āvellō, -ere, -vulsī (-vellī),
 -vulsum; abripiō; vī ab-
 strahō.
 avidē; adverbium ab adiec-
 tivō *avidus* ductum.
 avidus, -a, -um; is est avidus
 quī nimis edit.
 avunculus, -ī (*m.*); mātris
 frāter.
 āxis, -is (*m.*); pars currūs vel
 raedae cui rotae iunguntur.
 Bacchae, -ārum (*f.*); fēminae
 quae saliunt dum sacra
 Bacchī honōris causā agunt.
 Bacchus, -ī (*m.*); deus vīnī.
 baculum, -ī (*n.*); senex infirmus
 dum ambulat baculum sēcum
 portat quō facilius prōgre-
 diātur.
 balneum, -ī (*n.*); stāgnum in
 quō natāre licet. Vidē
 pāginam quārtam decimam.
 benignus, -a, -um; contrārium
 quam *crūdēlis*.
 brācae, -ārum (*f.*); vidē pāgi-
 nam septimam decimam.
 būbula, -ae (*f.*); carō bovis.
 caelātus, -a, -um; nōn pūrus

sed variīs figurīs ōrnātus et
 decorātus.
 calceus, -ī (*m.*); quod pedibus
 induimus vel inducimus.
 calculus, -ī (*m.*); lapis parvus.
 capillātus; nōbilis. Hōc sig-
 nificat quia nōbilēs iuvenēs
 capillum longum habēbant.
 Capillus est id quod in capite
 crēscit.
 carcer, -eris (*m.*); locus ubi
 malōs hominēs cūstōdimus.
 carnifex, -icis (*m.*); quī hominēs
 damnātōs occīdit, vel inter-
 ficit.
 carō, carnis (*f.*); pars corporis
 mollior quae ossa quasi ami-
 cit. Carnem, pānem, piscēs
 edimus.
 carpō, -ere, carpsī, carptum;
 capiō; colligō, rapiō.
 cauda, -ae (*f.*); pars cor-
 poris quam hominēs nōn
 habent.
 causidicus, -ī (*m.*); is quī
 causās agit et ōrātiōnēs ad
 iūdicēs habet.
 caveō, -ēre, cāvī, cautum;
 cūrā adhibeō nē quid acci-
 dat. Dum magister appro-
 pinquat discipulī *Cavē* exclā-
 mant. *Cavē* canem.
 celebrō, -āre; diēs fēstōs cele-
 brāmus.
 cella, -ae (*f.*); pars domūs
 quattuor inter mūrōs.
 cēnō, -āre; cēnam edō.
 centuriō, -ōnis (*m.*); centum
 militum dux.
 cernō, -ere, crēvī, crētum; per-
 cipiō, videō.
 certus, -a, -um; nōn dubius.
 cēssō, -āre; dēsistō.
 cēteri, -ae, -a; omnēs aliī.
 cēterum; sed.
 cibus, -ī (*m.*); quicquid edimus.

circiter ; circā.
 circumdō, -are, -dedī, -datum ;
 cingō.
 clāmō, -āre ; māgnā vōce
 loquor.
 claudicō, -āre ; nōn bene am-
 bulō. Claudicāmus sī pedēs
 nōbis sunt laesī.
 claudus, -a, -um ; claudus est
 is quī claudicat.
 cōgnōscō, -ere, -nōvī, -nitum ;
 reperiō.
 colligō, -ere, -lēgī, -lēctum ;
 ūnum in locum pōnō.
 collum, -ī (n.) ; pars corporis
 in quā situm est caput.
 colōnia, -ae (f.) ; hominēs quī
 in aliam terram migrant colō-
 niam faciunt, vel colōniam
 dēdūcunt.
 coma, -ae (f.) ; crīnis vel capil-
 lus ; id quod summō in capite
 crēscit.
 comedō, -ere, -ēdī, -ēsum ;
 omnīnō dēvorō.
 comitor, -ārī ; eō cum aliquō ;
 comes eī sum.
 comminus ; contrārium quam
ēminus.
 compōnō, -ere, -posuī, -posi-
 tum ; faciō, scrībō.
 comprehendō, -ere, -prehendī,
 -prehēsum ; intellegō ; capiō
 aliquem ut in carcerem eum
 iaciam.
 comprimō, -ere, -pressī, -pres-
 sum ; vehementer premiō.
 computō, -āre ; numerō.
 conciliō, -āre ; *conciliāre mihi
 amīcōs* = parāre mihi amīcōs.
 concipiō, -ere, -cēpī, -ceptum ;
scelus concipiō = scelus faciō.
 conclāve, -is (n.) ; cella.
 condiscipulus, -ī (m.) ; quī
 mēcum discit.
 condūcō, -ere, -dūxī, -ductum ;

pecūniam alicuī solvō ut
 aliquā rē mihi ūtī liceat.
 cōferō, -ferre, -tulī, -lātum ;
 sē cōferre = ire.
 cōfundō, -ere, -fūdī, -fūsum ;
 paene idem quod misceō.
 cōniciō, -ere, -iēcī, -iectum ;
 iaciō contrā.
 cōsciū mihi sum ; sciō mē
 aliquid fēcisse.
 cōsēsus, -ūs (m.) ; cum
 omnēs cōsentiunt, vel idem
 putant, est cōsēsus.
 cōsidō, -ere, -sēdī, -sessum ;
 inter aliōs sedeō.
 cōsignō, -āre ; nōmen meum
 scrībō.
 cōsiliū, -iī (n.) ; modus vel
 ratiō aliquid agendī.
 cōspiciō, -ere, -spexī, -spec-
 tum ; videō.
 cōstituō, -ere, -uī, -ūtum ; in
 animō habeō.
 cōsul, -ulis (m.) ; summus
 apud Rōmānōs magistrātus.
 cōsūmō, -ere, -sūmpsi, -sūmp-
 tum ; ita ūtor aliquā rē ut
 nihil maneat.
 contendō, -ere, -tendī, -tentum ;
 fēstinō ad ; *cum aliquō con-
 tendō* = contra eum pūgnō.
 contineō, -ēre, -tinuī, -tentum ;
 intus habeō.
 convīva, -ae (m. f.) ; quī apud
 eandem mēnsam cēnant con-
 vivae sunt.
 coquō, -ere, coxī, coctum ; ignī
 vel aquā calidā cibum ad
 cēnam parō.
 coquus, -ī (m.) ; is quī cibum
 coquit.
 cottidiē ; diem ex diē, per
 omnēs diēs.
 crepundia, -ōrum (n.) ; rēs
 quae sī quatitur sonum facit.
 Infantēs crepundiis māximē

gaudent; itaque cum vā-
giunt crepundia quatinus.

crēta, -ae (*f.*); rēs quaedam
alba quā in tabulā
nigrā scribimus.

crībrum, -ī (*n.*).



crūs, crūris (*n.*).

crūstulum, -ī (*n.*);

dulce cibī genus;
puerī crūstula
edere amant.

cubiculum, -ī (*n.*); cella ubi
dormimus.

cubō, -āre, cubuī, cubitum;
in lectulō recumbō ut dor-
miam.

culīna, -ae (*f.*); locus ubi
coquus cibum coquit.

culter, -trī (*m.*); id quō aliquid
secāmus.

cupiō, -ere, -ivī (-iī), -itum;
volō.

cūriōsē; cum cūrā; māgnā
cūrā.

currus, -ūs (*m.*); curribus
vehimur.

cursus, -ūs (*m.*); *verbum* est
currō; *nōmen* est *cursus*.

curūlis, -e; sella curūlis est
sella magistrātūs.

cūstōdiō, -īre; cūstōs cūstōdit.

daedalus, -a, -um; variū colōris.

damnō, -āre; condemnō; iū-
dicēs scelerātōs damnant,
poenās ab eis sūmunt.

damnum, -ī (*n.*); sī quid perdō
damnum patior; sī quid lae-
ditur damnum accipit.

dēbeō, -ēre; oportet mē.

dēcēdō, -ere, -cēssī, -cēssum;
cēdō; ē locō mē moveō, mē
recipiō.

dēcērtō, -āre; pūgnō, contrā
aliōs contendō.

decōrus, -a, -um; decōrum est
id quod decet.

dēiciō, -ere, -iēcī, -iectum; ad
terram iaciō; praecipitō.

dēlectō, -āre; gaudium praestō;
delector = gaudeō.

dēnique unum ex adverbīis est
quōrum est seriēs primō,
deinde, dēnique, postrēmō.

dēpōnō, -ere, -posuī, -positum;
pōnō, omittō, abiciō.

dētrahō, -ere, -trāxī, -tractum;
abstrahō, capiō ab.

dēversōrium, -iī (*n.*); taberna,
stabulum; locus quō ē viā
devertimus cum domum ante
noctem pervenire nōn pos-
sumus.

dēvorō, -āre; edō celeriter;
cōnsūmō.

difficilis, -e; nōn facilis.

digitus, -ī (*m.*); pars manūs
vel pedis; vigintī igitur
digitōs habeō, decem in
manibus, in pedibus de-
cem.

dīmittō, -ere, -misi, -missum;
abire iubeō.

discēdō, -ere, -cēssī, -cēssum;
idem quod recēdō.

dispōnō, -ere, -posuī, -positum;
ex ōrdine pōnō.

domina, -ae (*f.*); uxor dominī.

dōnō, -āre; dō.

dormiō, -īre; nocte in lectulīs
dormimus cum claudimus
oculōs.

dubitō, -āre; nōn prō certō
habeō.

dubius, -a, -um; contrārium
quam certus. *Nōmen* est
dubium.

dulce adverbium est; *adiec-
tīvum* est *dulcis*.

ecce ; vidē, spectā. Exclā-
mātiō est.
effugiō, -ere, -fūgī ; fugiō ex
aliquō locō.
ēgredior, -ī, -grēssus sum ; exeō.
ēgregius, -a, -um ; optimus,
eximius.
ēminus ; longē, ex longinquō,
ex longō spatiō.
ēmittō, -ere, -mīsī, -mīssum ;
mittō vel iaciō ex aliquā rē.
epistula, -ae (*f.*) ; aliquid
scriptī quod aliī mittimus.
eques, -itis (*m.*) ; miles quī ex
equō pūgnat.
equidem ; ego quidem ; ego
prō meā parte.
errō, -āre ; nōn rēctē putō, vel
faciō.
ēsca, -ae (*f.*) ; parva pars cibi.
Cibus est id quod edimus.
ēvādō, -ere, -vāsī, -vāsum ;
effugiō.
ēveniō, -īre, -vēnī, -ventum ;
accidō.
ēvolō, -āre ; volō ex. Volō =
per āera mē moveō ; avis vel
volucris volat.
excipiō, -ere, -cēpī, -ceptum ;
capiō ; alicuī rei obstō quō-
minus cadat.
excitō, -āre ; efficiō ut aliquis
expergiscātur.
exclāmō, -āre ; subitō clāmō,
loquor māgnā vōce.
excruciō, -āre ; vexō, ita per-
turbō ut paene interficiam
aliquem.
exemplum, -ī (*n.*) ; id quod
imitārī dēbēmus.
exercitus, -ūs (*m.*) ; multi
ūnō sub duce militēs.
exhauriō, -īre, -hausī, -haus-
tum ; exhauriō aquam cum
omnem bibō.
expergiscor, -ī, experrēctus

sum ; ex somnō excitor ; ē
lectulō surgō.
expōnō, -ere, -posuī, -positum ;
clārum vel plānum faciō, ex-
plicō.
exsanguis, -e ; sine sanguine.
expectō, -āre ; expectō dōnec
aliquis redeat ; maneō.
exstinguō, -ere, -stīnxī, -stīnc-
tum ; exstinguimus ignem
aquā.
extrahō, -ere, -trāxī, -tractum ;
ex aliquā rē trahō.
facētiae, -ārum (*f.*) ; verba
quae risum nōbis movent.
faenum, -ī (*n.*) ; cibus equī ;
grāmen sōle tostum.
fāma, -ae (*f.*) ; id quod dē
aliquō dīcitur ; quod dē mē
ipsō audiō.
fatigātus, -a, -um ; fessus.
febris, -is (*f.*) ; morbus quī
corpus nunc calidum nunc
frigidum reddit.
fēlēs, -is (*f.*) ; animal domesti-
cum quod canis ōdit.
fēmina, -ae (*f.*) ; pater est vir,
māter fēmina.
fenestra, -ae (*f.*) ; in mūrīs
sunt fenestrae per quās lūx
intrat.
ferāx, -ācis ; fertilis ; ferāx est
arbor quae multās prōcreat
frūgēs.
fēriae, -ārum (*f.*) ; diēs fēstī
quibus lūdum nōn frequen-
tāmus.
feriō, -īre ; pulsō, percutiō.
ferula, -ae (*f.*) ; instrūmen-
tum quō magister puerōs
pūnit.
ferveō, -ēre, ferbuī ; calidus
sum.
fēstinō, -āre ; celeriter rem
agō.

fiŋgō, -ere, fiŋxi, fiŋctum ;
faciō.

flāgitō, -āre ; vehementer
poſcō.

flō, -āre ; ventus flat.

flūctus, -ūs (*m.*) ; unda.

focus, -ī (*m.*) ; locus ubi solet
fieri ignis.

follis, -is (*m.*) ; pila ventō in-
flāta vel plēna.

forēs, -um (*f.*) ; iānuā quae
duās habet partēs ; aliter
valvae.

forte ; cāsū ; ut accidit.

fortis, -e ; validus. Herculēs
erat fortis, immō vērō fortis-
simus.

forum, -ī (*n.*) ; locus apertus
in mediā urbe situs circum
quem stant tabernae.

fragmentum, -ī (*n.*) ; pars
parva.

frāterculus, -ī (*m.*) ; frāter
parvus.

frequēns, -tis ; frequentēs sunt
multī.

frequentō, -āre ; identidem eō
atque redeō.

frōns, -dis (*f.*).

frūstrā cōnōr facere
quod facere nōn
possum.


fugāx, -ācis ; is est
fugāx quī celeriter
fugit.

fugō, -āre ; aliquem
in fugam vertō.

fulcrum, -ī (*n.*) ;
pars superior et
quasi caput lectī.

funda, -ae
(*f.*).

funditor,
-ōris (*m.*) ;
quī fundā
ūtitur.



fūnis, -is
(*m.*).

fūr, fūris
(*m.*) ; is

quī quod

nōn est suum capit.

furcifer, -erī (*m.*) ; homō scele-
rātus.

furō, -ere, -uī ; saeviō, rabidus
sum.

fūrtum, -ī (*n.*) ; scelus quod
fūr admittit.

galea, -ae (*f.*). Vidē pāginam
septimam decimam.

gallus, -ī (*m.*).

genae, -ārum
(*f.*) ; partēs ōris
inter quās est
nāsus.

gestō, -āre ;
portō.

gladius, -ī (*m.*).

Vidē pāginam
septimam decimam.

glāns, glandis (*f.*) ; lapis quem
ē fundā mīttimus.

Graecus, -a, -um ; quī Graeciam
habitat.

grammaticē ; quōmodo ma-
gister grammaticus rem
expōnere solet.

grammaticus liber omnia dē
verbis docet.

grassor, -ārī ; saeviō, saevus
sum.

grātia, -ae (*f.*) ; amīcitia,
favor ; *in grātiā cum aliquō*
redeō = iterum amīcus eī fiō.

Amīcitia inter amīcōs est.

grātus, -a, -um ; nōn molestus.

grex, gregis (*m.*) ; turba vel
animālium vel hominum.

gustō, -āre ; edō.

gustus, -ūs (*m.*) ; prima pars
cēnae.



habitus, -ūs (*m.*); speciēs vestium quās gerimus.
 hostis, -is (*m.*); quī contrā patriam nostram pūgnat.
 hūc; ad hunc locum.
 hūiusmodī; scīlicet *hūius modi*, tālis.

 ictus, -ūs (*m.*); id quod tibi dō sī tē pulsō. *Feriō, pulsō* sunt *verba*, *ictus* est *nōmen*.
 identidem; saepe, iterum atque iterum.
 Idūs, -uum (*f.*); diēs mēnsis aut tertius decimus aut quīntus decimus.
 iēiūnus, -a, -um; iēiūnus est is quī edere volt.
 ignōrō, -āre; nōn sciō.
 imāgō, -inis (*f.*). Vidē pāginam vicēsimum secundam.
 imitōr, -ārī; aliquid alicuī simile facere cōnor.
 immittō, -ere, -misi, -missum; impōnō; iaciō in.
 impedimenta, -ōrum (*m.*); omnia quae nōbiscum portāmus dum iter facimus.
 impediō, -ire; obstō.
 impetus, -ūs (*m.*); vīs alicūius currentis.
 impluvium, -ī (*n.*); locus in mediō ātriō situs in quem aqua dē caelō cadit; quasi stāgnum parvum. Vidē pāginam quārtam.
 improbus, -a, -um; malus, scelestus.
 imprōvisus, -a, -um; nōn prōvisus; *ex imprōvisō* = subitō.
 imus, -a, -um; contrārium quāsum summus.
 incidō, -ere, -cidi, -cāsum; cadō in.

incultus, -a, -um; nōn cultus; paene idem quod rudis.
 incumbō, -ere, -cubui, -cubitum (*dat.*); operam dō.
 indō, -ere, -didi, -ditum; dō, addō.
 infāmis, -e; quī malam famam habet.
 infāns, -antis (*m. f.*); puer parvus vel puella parva. Infāns loquī nōn potest.
 infēstus, -a, -um; nōn tūtus; infēstus est locus ubi grassantur latrōnēs.
 infinitus, -a, -um; sine fine, aeternus, diūturnus.
 infirmus, -a, -um; nōn validus.
 ingredior, -i, -grēssus sum; intrō.
 inhaereo, -ēre, -haesi, -haesum; haereō in aliquā rē.
 initium, -ī (*n.*); contrārium quāsum finis.
 inquit; dicit vel dixit.
 insalūbris, -e; nōn salūbris, nōn sānus.
 inserō, -ere, -serui, -sertum; impōnō, immittō.
 inspicīō, -ere, -spexi, -spectum; spectō.
 intempestā nocte; mediā nocte.
 interficiō, -ere, -feci, -fectum; caedō.
 intrō, -āre; eō in.
 intrōducō, -ere, -dūxi, -ductum; dūcō in.
 inūsitātus, -a, -um; novus, mirus.
 inveniō, -ire, -veni, -ventum; reperiō; quasi *in rem veniō*.
 irācundus, -a, -um; irā plēnus.
 irāscor, -i, irātus sum; irātus sum.
 itaque; hanc ob rem, igitur.

iūcundus, -a, -um; is qui iūcundus est placet mihi.

iugulum, -ī (n.); pars corporis inter caput et umerōs.

iūrō, -āre; affirmō. Nōs Anglī dum iūrāmus librum sacrum manū tenēmus.

iūs, iūris (n.); potestās quam oportet nōs habēre.

iūssum, -ī (n.); quod iubeō.

iuventūs, -tūtis (f.); aetās iuvenum.

Kalendae, -ārum (f.); primus diēs mēnsis.

labor, -ōris (m.); negōtium quod fessōs reddit hominēs.

labōrō, -āre; doleō, dolōrem sentiō. *Ē ventre labōrō,* dolōrem in ventre sentiō.

labrum, -ī (n.); pars ōris quae dentēs tegit.

lac, lactis (n.); vacca lac nōbīs dat.

laedō, -ere, -sī, -sum; noceō, efficiō ut aliquis doleat.

lanius, -ī (m.); quī animālia trucidat, vel interficit, vel caedit, quōrum carnem vēndit.

lassus, -a, -um; fessus.

latrō, -ōnis (m.); fūr.

lavō, -āre, lāvī, lavātum (lautum vel lōtum); aquā purgō.

lectīca, -ae (f.). Vidē pāginam vicēsīnam octāvam.

lectīcārius, -ī (m.); quī aliquem lectīcā gestat.



lectulus, -ī (m.);

lectus parvus.

lectus, -ī (m.).

legūmen, -inis (n.); herba quam edimus.

lētum, -ī (n.); nex, mors.

levō, -āre; levius aliquid faciō. Liber, -erī (m.); Bacchus, deus vīnī.

litterārius, -a, -um; adiectivum dē nōmine *littera* ductum. *Lūlus litterārius* est locus in quō litterās discimus.

loculī, -ōrum (m.); rēs in quā pecūniam aliāsque rēs habēmus. Puerī librōs in loculis ad lūdum portant.

lōrica, -ae (f.). Vidē pāginam septimam decimam.

lūsus, -ūs (m.); lūsum lūdīmus. Verbum est *lūdō*, nōmen *lūsus*.

lūx, lūcis (f.); lūmen; id quod sōl dat; diē est lūx, nocte nōn est.

macellum, -ī (n.); locus ubi multae sunt tabernae ē quibus carnem, legūmina, aliāsque rēs emimus.

magistrātus, -ūs (m.); quī negōtia pūblica cūrat.

maledīcō, -ere, -dīxī, -dictum (dat.); mala verba dīcō.

mālum, -ī (n.).

marītus, -ī (m.); cui est uxor.

Pater tuus est marītus tuae mātris.

memoria, -ae (f.); pars mentis quā meminimus.


mēns, mentis (f.); animus.

mereor, -erī, meritus sum; dignus sum aliquā rē.

merīdiē; mediō diē.

metuō, -ere, -uī, -ūtum; timeō.

migrō, -āre; in alium locum abeō.



mīles, -itis (*m.*); homō qui pūgnat et patriam dēfendit. Vidē pāginam septimam decimam.

mīrābilis, -e; mīrus; id quod admiror est mīrābile.

mīror, -ārī; intellegere nōn possum.

molestus, -a, -um; pessimus; homō molestus mihi displicet; incommodō mihi est.

mordeō, -ēre, inomordī, morsum; dentibus mordēmus aliquid.

moror, -ārī; moram faciō; nōn fēstīnō.

mox; post breve tempus; brevī.

muliebris, -e; fēmineus; ad mulierēs vel fēminās attingens.

multitūdō, -inis (*f.*); māgna hominum turba.

mūs, mūrīs (*m.*); animal parvum quod fēlēs grātō animō interficiunt eduntque.

Mūsae, -ārum (*f.*); deae carminum.

mūtuum, -a, -um; propriē id quod ad multōs attinet est mūtuum. *Mūtuum aliquid dō est aliquid dō quod oportet tē postea mihi reddere.*

nārrātiō, -ōnis (*f.*); id quod nārrō.

nātālis, -e; *nātālis diēs* est diēs quō nātus est aliquis.

natō, -āre; in aquā quasi currō et manibus et pedibus ūsus.

necesse est; oportet.

nefārius, -a, -um; scelestus.

nēquam; nefārius.

nescioquis; aliquis.

nihil; nulla rēs.

nitor, -ōris (*m.*); splendor; fulgor; sōl clārō nitōre rīdet.

nocēns, -entis; nōn innocēns; is quī rē vērā scelus admisit nocēns est.

nōlō, nōlle, nōluī; nōn volō.

nōnnumquam; nōn numquam; interdum.

nūdius tertius; abhinc tribus diēbus.

nūgae, -ārum (*f.*); nullius mōmentī rēs; rēs inānēs.

nūtrīcius, -ī (*m.*); tūtor vel cūstōs aliōrum.

obdormiō, -īre, -īvī, -ītum; dormire incipiō.

oblīvīscor, -ī, oblitus sum (gen.); nōn meminī; memoriā nōn teneō.

oboediō, -īre (dat.); pāreō.

obstō, -āre, -stitī, -stātum (dat.); impediō; nōn sinō.

obtineō, -ēre, -tinuī, -tentum; habeō; teneō.

obvius fiō alicuī; accurrō; alicuī occurrō; dum per viam eō aliquem inveniō.

occāsiō, -ōnis (*f.*); opportūnitās; facultās; potestās; occāsiōnem alicūius rei faciendae habeō si eam facere possum.

occupō, -āre; rapiō; capiō.

Octōber, -ris; mēnsis octāvī.

ōdī, ōdisse; contrārium quam amō.

offendō, -ere, -dī, -sum; ita currō ut aliquem corpore meō feriam.

omittō, -ere, -mīsī, -mīssum; praetereō, trānseō, neglegō. *Lūdum omittō est lūdum nōn frequentō.*

omnis, -e; cūctus; ūnusquisque.

onus, -eris (*n.*); pondus; rēs
gravis.


operam dō; rem diligenter
agō.

opprimō, -ere, -pressī, -pres-
sum; vī superō; ad terram
dēiciō.

ōrātiō, -ōnis (*f.*); dum loquor
ōrātiōnem faciō vel habeō.

ōrnātus, -ūs (*m.*); habitus.

ōtiosus, -a, -um; quī ōtium
agit; nūllis negōtiis occu-
pātus.



ōtium, -ī (*n.*);
contrārium
quam ne-
gōtium.

ovis, -is (*f.*).

ōvum, -ī (*n.*); ex quō pullus
nāscitur.

paedagōgus, -ī (*m.*); servus
quī cūstōs est puerōrum,
quōs ad lūdum dūcit.

palleō, -ēre, -uī; pallidus sum;
nūllum colōrem ōs habet.

palmes, -itis (*m.*); frōns vitis.
pār, paris; similis, idem.

parcō, -ere, pepercī, parsum;
veniam dō.

parēns, -entis (*m.f.*); māter et
pater sunt parentēs.

pariō, -ere, peperī, partum;
faciō, gignō; avis ōva parit.

parum; nōn satis.

pāstor, -ōris (*m.*); quī ovēs
cūstōdit.

patior, -ī, passus sum; sinō,
sentio.

patria, -ae (*f.*); terra ubi
nātus est aliquis.

patrōnus, -ī (*m.*); amicus et
quasi cūstōs quī aliōs cūrat
quibus auxilium dat; causi-
dicus quī aliquem in iūdicio
dēfendit.

pauca, nōn multa.

paulisper; breve tempus; nōn
longum tempus.

paulō; nōn multō.

pecten, -inis

(*m.*); id quō

comās pecti-

mus.



pectō, -ere,

pexī, pexum; aptum ōrdinem
comīs praestō.

pēnsium, -ī (*n.*); opus domī
factum.

percipiō, -ere, -cēpī, -ceptum;
spectō, videō, intellegō.

percutiō, -ere, -cussī, -cussum;
pulsō.

perficiō, -ere, -fēcī, -fectum;
contrārium quam *incipiō*.

pergō, -ere, perrēxī, perrēctum;
prōcēdō.

perlegō, -ere, -lēgī, -lēctum;
ūsque ad finem legō.

persequor, -ī, -secūtus sum;
sequor ūsque ad finem. Se-
quor = currō post aliquem.

perturbō, -āre; agitō; timor vel
terror mentem perturbat.

pervenio, -īre, -vēnī, -ventum;
veniō ūsque ad finem.

pēstilentia, -ae (*f.*); tempestās
īnsalūbris.

pēstis, -is (*f.*); quicquid malī
quod nōs vexat.

petasus, -ī (*m.*); id quod in
capite gerō.

petitor, -ōris (*m.*); is quī
aliquid ab homine
accūsātō recipere
cōnātur.



pila, -ae (*f.*).

pilum, -ī (*n.*). Vidē
pāginam septi-
mam decimam.

pingō, -ere, pīnxī, pīctum;
alium colōrem alicuī rei dō.



pirum, -ī (n.).
piscīna, -ae (f.);
balneum. Vidē
pāginam quārtam
decimam.

pluit cum aqua dē
caelō dēcidit.

pluvia, -ae (f.);
aqua quae dē caelō
dēscendit; imber.

pōculum, -ī (n.); vās ē quō
bibimus.

poenās dō; pūnior. Contrā-
rium est *poenās sūmō*.

Pompēius, -ī (m.); vir clāris-
simus quī contrā Iūlium
Caesarem pūgnāvit.



porculus, -ī
(m.); porcus
parvus.

porcus, -ī
(m.).

porticus, -ūs (f.); locus colum-
nīs circumdatus.

portō, -āre; ferō, gerō.

posterus, -a, -um; quī postea
venit; *posterō diē*, diē
secundō.

potestās, -tātis (f.); *verbum* est
possum; *nōmen* est *potestās*.

prae mē ferō; praestō.

praecipitō, -āre; in caput
aliquem iaciō.

praecīlarus, -a, -um; nōbilis,
clārus, illūstris.

praedicō, -ere, -dīxī, -dictum;
quāle futūrum sit aliquid
dicō.

praelēctiō, -ōnis (f.); prae-
lēctiō est dum magister in
lūdō docet.

praemium, -ī (n.); dōnum
quod ob virtūtem accipiō.

praeruptus, -a, -um; abscīsus,
abruptus.

praestō, -āre, -stitī, -stātum

(-stitum); praebeō; sē *prae-
stāre* est sē *mōnstrāre*, vel
esse.

praestō (adv.); ad manum;
praestō esse significat *adesse*,
praesentem esse, *parātum esse*.
Praestō sum = adsum.

praetor, -ōris (m.); magistrātus
Rōmānus quī iūs dat. Seriēs
magistrātuum est *aedīlis*,
quaestor, *praetor*, *cōsul*,
prō cōsule, *cēnsor*.

prandium, -ī (n.); quod merī-
diē edimus.

prātum, -ī (n.); ager viridis ubi
nihil nisi herba crēscit.

precor, -ārī; orō.

prīdiē; diē priōre.

primipīlāris, -e; miles quī
inter primōs militum ordinēs
stat est primipīlāris.

prīvō, -āre; *aliquem aliquā rē*
prīvō = aliquam rem ab aliquō
capīō.

prōcēdō, -ere, -cēssī, -cēssum;
eō.

prōcreō, -āre; pariō, gignō.

profectiō, -ōnis (f.); *profec-
tiōnem faciō = proficīscor*.

prōgredior, -ī, -grēssus sum;
proficīscor; prōcēdō.

prōnus, -a, -um; quasi in
caput cadēns.

properō, -āre; fēstīnō; con-
trārium quam moror.

prōsperē; bene, fēliciter.

prōtegō, -ere, -tēxī, -tēctum;
tegō; dēfendō.

prōverbium, -ī (n.); verba
sapientiae. *Sapiēns* est con-
trārium quam *stultus*.

prōvideō, -ēre, -vīdī, -vīsum;
caveō; cūram adhibeō nē
quid accidat.

prūdēns, -entis; quī prōvidet.

puerulus, -ī (m.); puer parvus.



pullus, -ī (*m.*).
 pūniō, -īre; sī
 quāndō pēsum
 male faciō ma-
 gister mē pūnit;
 poenās ā mē
 sūmit. Ego—ō
 mē miserum!—
 poenās dō.

purgō, -āre; pūrum faciō. Cum
 tabula nigra litterarum est
 plēna magister puerō cuiādam
 imperat ut eam purget.

pūrus, -a, -um; *argentum*
pūrum est contrārium quam
caelātum.

quaerō, -ere, quaesivī, quaesī-
 tum; invenire cōnor; petō.

quāpropter; quam ob causam;
 quārē.

ravidus, -a, -um; furiōsus,
 insānus.

raeda, -ae (*f.*). Vidē pāginam
 tricēsimum tertiam.

raedārius, -ī (*m.*); is quī
 raedam regit.

recēdō, -ere, -cēssī, -cēssum; ab
 aliquō locō cēdō; mē recipiō.

recipiō, -ere, -cēpī, -ceptum;
 iterum capiō. *Mē recipiō =*
abeō.

recreō, -āre; *mē recreō = virēs*
recipiō; iterum validus fiō.

rēctus, -a, -um; iūstus; paene
 idem quod *solitus*. Id rēctum
 est quod fieri solet.

recūsō, -āre; nōlō, nōn volō.

reddō, -ere, -didī, -ditum; faciō.

refigō, -ere, -fixī, -fixum; con-
 trārium quam affigō; solvō.

regiō, -ōnis (*f.*); pars terrae
 vel civitātis; multae regiōnēs
 in unā civitāte sunt.

rēgnum, -ī (*n.*); rēx rēgnum
 obtinet.

regredior, -ī, -grēssus- sum;
 redeō.

reliquus, -a, -um; relictus; sī
 ē tribus librīs unum capiō,
 duo sunt reliquī.

remittō, -ere, -misi, -missum;
 levō; vim dēminuō vel
 minōrem faciō.

reprehendō, -ere, -dī, -sum;
 contrārium quam *laudō*. Sī
 male scribō lūdī magister mē
 reprehendit.

requiēscō, -ere, -quiēvī, -quiē-
 tum; quiētem agō; dormiō.

resideō, -ēre, -sēdī; sedeō.

reus, -ī (*m.*); homō accūsātus.

revertor, -ī, -versus sum; mē
 recipiō.

revocō, -āre; retrō vocō.

rīdeo, -ēre, risī, risum; *videt* sig-
 nificat *pulchrum videtur esse*.

rōbur, -oris (*n.*); vis valida.

rōdō, -ere, -sī, -sum; paene
 idem quod *mordeō*; denti-
 bus aliquid frangō. Mūrēs
 rōdunt chartam.

rogātor, -ōris (*m.*); is quī
 interrogātiōnēs rogat.

rota, -ae (*f.*). Vidē pāginam
 tricēsimum tertiam.

rubeō, -ēre; ruber fiō; genae
 mihi rubent.

rudis, -e; contrārium quam
doctus.

rūrsus; iterum.


rūsticus, -a, -um; ad rūs
 attinēns; quī rūrī habitat.

saccus, -ī (*m.*).

sacra, -ōrum (*n.*);
 rēs sacrae, caerimōniae.

saepenumērō;
 saepe.

sagittārius, -ī
 (*m.*); quī sa-



gittis pūgnat. Sagittās ex arcū ēmittit.

saliō, -īre, -uī, saltum; brāchia, pedēs, corpus hūc, illūc iactandō ad sonum tibiae moveor.



Puer salit.

saltem; certē.

saltō, -āre; saliō.

sanguis, -inis (m.); ruber quīdam liquor quī corpori inest.

sapiēns, -entis; doctus.

saxum, -ī (n.); lapis māgnus; rūpēs.

scelerātus, -a, -um; scelestus, pessimus, quī scelus admittit.

scelus, -eris (n.); nefās; id quod nōn oportet nōs facere. Scelus est fūrārī, aliquem interficere.

scēptrum, -ī (n.); rēgis baculum.

scīlicet; scīre licet, nīmirum, sine dubiō, ut omnēs intellegere possunt.

scopulus, -ī (m.); saxum.

scriptor, -ōris (m.); is quī scribit aliquid.

scūtum, -ī (n.). Vidē pāginam septimam decimam.

sēcūrus, -a, -um; sine timōre.

seges, -etis (f.); ager herbīs plēnus.

sententia, -ae (f.); verbōrum numerus quī sēnsū habet: *ex animī meī sententiā = ut rē vērā putō.*

sentiō, -īre, sēnsī, sēnsū; animō percipiō; intellegō, patior.

seriēs, -eī (f.); numerī seriem faciunt, i, ii, iii, iiii, v.

serō, -ere, sēvī, satum; in terram inserō. Segetēs serimus.

servō, -āre; tūtum vel salvum faciō; cūstōdiō; dēfendō.

sevērītās, -tātis (f.); vīs gravis.

sextilis, -e; sextī mēnsis. Mēnsis est duodecima pars anni.

sicārius, -ī (m.); is quī aliquem interficit.

similiter; simili modō.

simplex, -icis; simplex homō est bonus probusque quī nēmīnem dēcipit.

simulō, -āre; simulō mē esse quod rē vērā nōn sum. Sī lātrō simulō mē esse canem; sī mūgiō bovem mē esse simulō.

sinus, -ūs (m.); quasi duplex pars vestis, in quā aliquid ferre possumus.

situs, -a, -um; positus.

sodālis, -is (m.f.); comes.

sōdēs; sī audēs; sī vīs; sī placet tibi.

solvō, -ere, solvī, solūtum; liberō; *pecūniam solvō = pecūniam dō.*

somnus, -ī (m.); *somnum capiō = dormiō.*

sonō, -āre, sonū, sonitum; sonum faciō; dicō.

spargō, -ere, sparsī, sparsū; hūc illūc iactō vel iaciō.

spectācula, -ōrum (n.); lūdus quem in circō spectāmus.

stāgnūm, -ī (n.); quasi lacus parvus. *Lacus* est quasi parvum mare in mediā terrā situm.

statim; sine morā.

stilus, -ī (m.); instrūmentum quō scribimus.

stīpendium, -ī (n.); pecūnia quam milītēs accipiunt. *Stīpendia mereor = in exercitū sum.*

studeō, -ēre, -uī; operam librīs dō.

suādeō, -ēre, suāsī, suāsum; ōrō, persuādeō.

suāvis, -e; dulcis, iūcundus.

suāvitās, -tātis (f.); *suāvis* est adiectivum; *suāvitās* est nōmen.

subiectum, -ī (n.); id dē quō loquimur.

subitō; repente, ex imprōvisō.

subsellium, -ī (n.); sella humilior.

sūdō, -āre; cum sūdāmus liquor, sūdor nōminātus, per tōtum corpus fluit.

suffrāgium, -iī (n.); aut tabella aut vōx eōrum quī cōsulēs aliōsque magistrātūs creant. Hodiē apud nōs fēminae iūs suffrāgiī flāgitant.

sūmō, -ere, sūmpsī, sumptum; capiō.

superō, -āre; vincō.

suppetō, -ere, -īvi (ii), -itum; satis esse.

suscitō, -āre; nōn sinō dormire.

suspendō, -ere, -dī, -sum; pendō; tabulās pīctās dē mūrīs suspendimus.

suspīcor, -ārī; nōn prō certō habeō sed putō.

tabella, -ae (f.); tabula parva.

taberna, -ae (f.); locus ubi rēs vēnduntur.



tablinum, -ī (n.); privātum patris conclāve.

tālī, -ōrum (m.); fragmenta ossis, quibus Rōmānī ut tesseris utēbantur.

tālīs, -e; hūius modī.

taurus, -ī (m.); bōs masculīnus.

tempestās, -tātis (f.); aut salūbritās aut pēstilentia locī.

tempore; bonō tempore; nōn sērō.


tempus terō, -ere, trīvī, trītum; *tempus terō* est tempus perdō; tempore nōn bene ūtor.

tergum, -ī (n.); posterior pars corporis. *A tergō* contrārium

est quam *ā fronte*.

tesserae, -ārum

(f.).



tēstāmentum, -ī (n.); id quod homō moritūrus scribit.

tēstificor, -ārī; vērū esse dicō; tēstis tēstificātur vel tēstimōnium dat.

tēstimōnium, -ī (n.); id quod tēstis dicit.

tēstis, -is (m.); is quī dicit sē aliquid vīdisse.

thermae, -ārum (f.); balneae ubi calida est aqua. Balneae sunt quasi stāgna in quibus natāre licet. Vidē pāginam quārtam decimam.

tibia, -ae (f.); instrūmentum mūsicae quō ūtimur inflandō.

timidus, -a, -um; quī timēre solet.

tirō, -ōnis; contrārium quam veterānus; novus quīdam.

toga, -ae (f.); vestis Rōmāna. Vidē pāginam tricēsīmam nōnam. Magister lūdī togam gerit. *Toga praetexta* est magistrātūs toga.

trādō, -ere, trādīdī, trādītum; alicuī aliquid ut servet dō; mandō; commendō.

trānseō, -īre, -īvī, -itum; eō
trāns.
trānsgridior, -ī, -grēssus sum;
trānseō.
tremō, -ere, -uī; ob timōrem
quatior.
trepidus, -a, -um; timidus.
tribūnal, -ālis (*n.*); locus ubi
praetor iūs dat.
tribūnus, -ī (*m.*); centuriōnēs,
tribūnī, legātī, imperātorexer-
citurum regunt dūcuntque.
triclinium, -ī (*n.*); lectus in
quō recumbimus dum cēnā-
mus.
trucidō, -āre; caedō; inter-
ficiō.
tumidus, -a, -um; id quod
tumet est tumidum.
tumor, -ōris (*m.*); sī caput
tuum vehementer percutiō
tumor rotundus in capite fit.
Verbum est *tumeō*.
tunica, -ae (*f.*); vestis quae
sub aliis vestibus est.

ultimus, -a, -um; postrēmus.
unde; ex quō.
ungula, -ae (*f.*); pēs equī.
urbānus, -a, -um; ad urbem
attinēns.

ūrō, -ere, ussī, ūstum; ignis
quicquid tangit
ūrit.



utinam; exclāmā-
tiō volentis vel
cupientis.
ūvae, -ārum (*f.*).

vacca, -ae (*f.*); bōs
fēmininus.

vacō, -āre; ōtium
agō; *ōtium* est contrārium
quam *negōtium*.
vāgiō, -īre; fleō ut infāns.

vagor, -ārī; hūc illūc ambulō.
valeō, -ēre; validus et fortis
sum; nōn aegrōtō.

valvae, -ārum (*f.*); forēs;
iānuā quae
duās habet
partēs.



vās, vāsis
(*n.*).

vehementer; māgnā vī.
vēnditor, -ōris (*m.*); is qui
vēndit. *Vēndō* est con-
trārium quam *emō*.

venia, -ae (*f.*); potestās;
veniam dō = sinō.

venter, -ris (*m.*); pars corporis
quō cibus it; stomachus.

ventus, -ī (*m.*); quasi āer qui
movētur.

verberō, -āre; ferulā per-
cutiō.

vereor, -ērī; timeō.

versiculus, -ī (*m.*); versus
parvus.

versus, -ūs (*m.*); carminis
pars.

vescor, -ī; edō; dēvorō.

vestis, -is (*f.*); id quō corpus
tegitur vel amicītur.

vexō, -āre; perturbō; agitō;
pēstis sum alicuī.

viātor, -ōris (*m.*); quī iter
facit.

vicīnus, -ī (*m.*); quī prope
habitat.

vigilia, -ae (*f.*); pars noctis;
quattuor noctis sunt vigiliae
quārum quaeque ternās con-
tinet hōrās.

vigilō, -āre; nōn dormiō.

vigor, -ōris (*m.*); vīrēs.

vilicus, -ī (*m.*); villae cūstōs.

villa, -ae (*f.*); domus rūstica.

vinciō, -īre, vīnxī, vīnctum;
vinculīs cingō.

vinculum, -ī (*n.*); id quod

manibus et pedibus eorum quī in carcere sunt impōni- mus.	vīsō, -ere, -sī, -sum; apud aliquem eō ut eum videam.
vindicō, -āre; <i>mīhi vindicō est dicō oportere mē habere.</i>	vītis, -is (<i>f.</i>); arbor quae ūvās prōcreat.
vīnum, -ī (<i>n.</i>); id quod ex ūvīs facimus.	vitō, -āre; cōnor aliquem fugere.
	volnerō, -āre; volnus dō.

Libellus loquitur.

CUR mordacibus hunc novum libellum,
lector, dic mihi dentibus lacesas.
quid culpae merui? Vocasne crimen
nostris me pueris opem tulisse
ut discant bene litteras Latinas?
ne mentem reprehende laude dignam.
mendas tollere si tamen iubebis,
monstranti tibi gratias agemus.